



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
proprietarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel
Francofurti Ad Moenum, 1690**

Caput XII. a Clemens III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](#)

CAPUT XII.

a Clemens III.

Adudentiam Apostolatus nostri pervenit, quod cum quidam Presbyter volens corrigere quandam de familiā sua, eo cingulo, quo cingi solebat, illum verberare tentaret, contigit, quod cultellus de vagina, quae cingulo adhaerebat, e lapsus, eum in dorso suo aliquantulum vulneravit: postmodum vero cum ille vulneratus aliquandiu vixisset, & convaluisse a vulnere, graviore, ut dicitur infirmitate percussus, sana mente, ac devotione debita viam est universa carnis ingressus. Quia vero utrum occasione vulneris dececesset, dubium habebatur, eodem Presbytero ab omni officio, beneficioque suspenso, quid super hoc vobis esset agendum, Ap. Sedem consuluitis. Nunc itaque vestra discretionis industria duximus respondendum, quod cum in dubiis semitam debeamus eligere tūtiorem, vos convenit in jungere Presbytero memorato, ut de cætero in sacris ordinibus ministrare non præsumat: injuncta tamen ei pœnitentiā congruenti, poteris ei concedere, ut sit contentus in minoribus ordinibus ministrare. Si vero vobis legitimè constiterit, quod ex alia infirmitate obierit, de nostra licentia poterit (sicut erat solitus) divina officia celebrare.

NOTÆ.

I. a **Clemens III.**) Ita etiam legitur in secunda collectione, sub hoc tit. cap. 1.

b **De familia.**) Illud autem certum est jure civili atroto, quod si domestici scelus aliquod graviore coëcitione dignum admisissent, judicibus tradiebantur duriori pena plectendi: si vero in mediocre delictum incidissent, moderatori in eos castigatione paterfamilias utebatur, l. unic. C. de emendat. propinquorum. Immò & novioribus constitutionibus modica tantum castigatio dominis permittitur, lib. 2. ff. de his qui sunt sui, l. unic. C. de emendat. servor. probat Forner. lib. 1. rer. quotid. cap. 3. & latè probavi in can. 5. Concil. Illyber.

c **Cultello.**) quem deferre presbyter licet poterat, quia armorum appellatione non continetur, ut probat Bobadilla lib. 1. polit. cap. 13. n. 73. & notavi in cap. clerici, de vita & honestate clericorum.

d **Tūtiorem.**) Quod principium variis exemplis illustrant Grotius de jure belli lib. 2. cap. 23. Nathem. de justitia vulnerat. cap. 10. & expli- cat P. Mendo in statera, dissert. 10. q. 1. §. 4.

COMMENTARIUM.

2. **D**ifficilis admodum visa est Interpretibus praesens Clementis decisio, dum in ea docet, in dubio irregularitatem contractam judicari. Primo quia irregularitas nisi in casibus à jure expressis non incurrit, cap. 18. de sent. excom. lib. 6. Igitur in dubio inducenda non est. Deinde quia in dubiis melior est conditio possidentis, ut probant, explicantque Joannes Sanchez. in select. disput. 42. Tapia tom. 1. catena moral. lib. 1. q. 8. art. 9. Prado tom. 1. Theolog. moral. cap. 1. de conscientia dubia, q. 8. Igitur in dubio quilibet presumendum est habilis ad ordines, non vero irregularis judicandus. Quare pro hujus textus explicatione Joannes Andreas, Cardinalis, & Ananias, & alii repetentes in praesenti, & plures congettati a Joanne Sanchez in select. disput. 42. num. 5. Franc. Valens tom. 2. concord. fol. 321. Gibalinus

de irregul. cap. 4. 1. p. assertunt distingendum esse inter forum interius conscientiae, & exteriori judiciale; ut in priori casu teneatur quis ab ordinibus se abstinere, irregulariisque se crede, argumento textus in cap. illud, de clericis excom. quo modo accipiunt praesentem textum, & textum in cap. significasti hoc tit. In posteriori vero non posse judicem ipsum irregulariter per sententiam declarari; & ita accipiunt textum in d. cap. 18 qui. Sed haec distinctione nullatenus minimè potest: tum quia decisio textus in d. cap. 18 qui, procedit etiam in foro interiori; tum etiam quia dispositio praesentis textus in d. cap. significasti, ad forum exteriorius, & judiciale pertinet, ut ex ipsius decisionibus facilè conflat. Quibus fundamentis eam communem distinctionem improbant Navartus in cap. si quis autem, de paenit. dist. 7. num. 35. Covarr. in d. Clement. si furiosus, 1. p. in initio, num 3. Idecirò verius dicendum est, quod si sumus in dubio, an in aliquo casu inducta, seu statuta sit irregularitas jure Pontificio, tunc respondendum esse, non esse irregularitatem constituantem in eocasu, nisi expressum id fuerit in iure canonico, ex dist. cap. 18 qui. At ubi certi sumus jure Pontificio irregularitatem induci certo in casu, & tamen ambiguum est, an aliquis id vicium propter eam causam contraxerit, ut planè non de jure, sed de facto dubitemus: dicendum est primò, in casu dubio homicidii nullam incurri irregularitatem ante iudicis sententiam; sed post sententiam condemnatoriam, ut in praesenti textu. Loquor autem de dubio utrumque æquali, non de illo, cuius unius pars faverit praesumptio probabilis, alteri vero nihil: de quo casu agitur in cap. significasti 18. hoc titulo, ubi non loquitur Pontifex de dubio utrumque æquali, sed de illo, dubio, cuius unius parti favebat praesumptio. Secundò in casu homicidii dubii, ita scilicet, ut nec praesumptio, nec nulla ratio vere probabilis faveat alteri parti, etiam post sententiam judicis non incurrit irregularitas, sed suspensio ab usu ordinum majorum; unde ne laici debent ex dispositione juris privari ordinibus suscipiendis, nec clericis usu ordinum minorum: quod probatur ex praesenti textu, ubi Clemens III.

non

non impedit susceptionem ordinum, nec laicis imponit determinatè ullam poenam, sed præcisè sacerdotibus poenam suspensionis ab ordinibus majoribus. Igitur quia non incurrit in hoc casu plena irregularitas. Confirmatur etiam, quia textus in dicto capitulo significasti 18. non loquitur in hoc casu, ut proximè dixi: & quamvis in hoc loqueretur, adhuc nihil obstarerit, quia etiam de presbyteris, & de abstinentia à ministerio sacerdotali præcisè loquitur. Undenisi aliunde constet, eum presbyterum esse irregularē, ut verè constat ex præsumptione homicidii, eo casu præcisè ex decisione illius capituli nullatenus constare posset. Ut autem privatio hæc ministrandi in sacris ordinibus locum habeat, & judex debeat per sententiam imponere hoc genus poenæ, constare sine dubio debet de homicidio, saltem per legitimam, & verè probabilem præsumptionem; nam si homicidium ipsum sit dubium, quia scilicet non constat, utrum factus fuerit animatus, an inanimatus; vel utrum homo confossum lethaliterab alio, quem jacenter tu postea confodisti, fuerit jam mortuus, cùm tuum vulnus superveniet; tunc predicta pena locum non habet. Rursus etiam debet constare sine dubio talēm occisionem fuisse tibi lethaliter culpabilem, contra quintūm Decalogi præceptum, non præcisè ratio alicuius omissionis, sed ratione positivi vulneris à te illati; quia præcavere debuisti, ne homicidium alterius sequeretur. Et ratio est manifesta, quia si de culpa tua dubitaret, locum habent inconcussa illa juris principia, in dubio absolvendum esse reum, dubia in meliore partem esse interpretanda. Ubi autem delictum vulnerationis lethaliter culpabilis certum est, jam datur materia sufficiens punitionis: jubet autem Pontifex, ut poena prædicta suspensionis imponatur, cùm delictum simul cum cæde supponitur, & dubium est, an occasione illius cædes ipsa fuerit subsequuta: unde qui dubius est de occisione licta a se facta, haec poena non incurrit.

³ Deinde afferro, quod cùm aliquis dubitat, utrum alium occiderit, nec ne, si parti affirmante ti faveat præsumptio aliqua probabilis, debet se acci- gerere ut irregularis in foro interno, si præsum- dicitur, pte in eodem foro locum habeat; aut solum in foro externo, si præsumptio falsa sit, & solum in eo foro subsistat, ut deciditur in dicto capitulo significasti 18. Et quamvis non esset decisum, ita debet affirmari ex ea ratione, quia in rebus mortalibus illud pro certo habetur, cuius uni parti faveat ratio aliqua probabilis, alteri vero nihil: atque idem est favere præsumptionem, ac favere rationem aliquam probabilem; quia non loquuntur de præsumptione temeraria, & levii, sed de præsumptione fundata, & sufficienti ad ferendum prudens judicium pro ea parte. Deinde quia ceteris paribus minor obligatio est gerendi se ut irregularē vel excommunicatum in dubio juris, quam in dubio facti; ideoque quamplures Doctores congesti à Joanne Sanchez. dicta disputatione 42. communiter docente, neminem in dubio juris se debere credere irregularē, aut aliis ligatum censuris. Atqui etiam in dubio juris debet quis se gerere ut irregularē, cùm præsumptio faveat illi parti, quæ affirmat legem esse latam; quia tunc,

ut ajunt relati à Joanne Sanchez, stat pro lege possesso, & hoc est privilegium præsumptionis, quod onus probandi oppositum in adversarium re- jicit, & si adversarius eam non prober, causâ ca- dat. Deinde ut homicidio faveat præsumptio, quantum satis est ad irregularitatem incurrendam, non solum debet præsumi cædes, nec solum vul- nus, nec solum peccatum grave contra quintūm Decalogi præceptum in vulneratione commissum, nec sola etiam influentia vulneris in mortem; sed hæc omnia simul, ita scilicet ut præsumatur hunc hominem vulnerasse alium, & vulnerando deli- quisce contra præceptum non occidendi, & mortem ex eo vulnerare evenisse: quare si de aliquo i- storum non sit certitudo, nec præsumptio, sed omnibus inspectis adhuc dubitetur de omnibus, aut de aliquo ex istis, ita scilicet ut pro illis omni- bus collectivè non sit judicium probabile, cut pro parte oppositi nihil refutatur, tunc irregularitas non incurrit.

Hinc patet, etiam in dubio juris, aut facti, si præ- sumptio faveat parti afferenti tale jus dari, aut ta- le factum existere, revera incurri alias censuras, & pro alijs factis diversis ab homicidio. Ratio est, quia licet lex dubia non obliget ad sui observan- tiā, nec delictum verè dubium ad subeundam poenam; tamen lex dubia, cuius existentia, fa- veat præsumptio probabilis, quando nulla exceptio occurrit pro parte opposita, non minus obligat, quam certa. Hinc lex quam constat esse latam, si dubitetur an sit abrogata, obligat, ac si certò con- staret, non fuisse abrogatam, scilicet quia perse- verare præsumitur, & pars illa dubia in jure pro certa habetur, cui faveat præsumptio. Hinc etiam jure optimo decidit Pontifex in capitulo illud, de clericis excommunicatis, illum, ad quem perlata est fama sue excommunicationis, debere se abstinere à sacra- mentis, nimisnam quia fama illa creditur esse proba- bilis, & quæ onus probandi oppositum in eum, qui subdi nolebat excommunicationi, rejiceret. Hinc etiam patet contra Gibalnum, & alios communiter affirmantes, in foro interno, aut etiam externo ni- nimè contentio, nullum penitus esse discrimen inter dubium homicidii, & cetera dubia facti, quo- ad effectum incurrendi irregularitatem, aut alias censuras. Nam si parti afferenti faveat præsum- ptio, illa pars pro certa habetur dum contrarium non probatur, & tam excommunicatione, quam reli- quæ censuræ incurruuntur. Si vero parti afferenti non faveat præsumptio in prædicto foro, nuncquam aliquis, etiamsi dubitet an sit homicida, debet se gerere ut irregularis, aut suspensus. Ergo in præ- dicto foro nullum est discrimen inter dubium ho- micidii, & cetera dubia facti. Exinde etiam patet, in foro contentio latum versari discrimen inter dubium homicidii, & reliqua dubia facti, quia quando certò constat de occisione, ac vulnero lethaliter peccaminoso contra præceptum non occi- dendii, etiamsi non præsumatur homicidium, sed præcisè de illo dubitetur, debet judex imponere irregularitatem partialē loco poenæ, aut suspen- sionem ab usu ordinum majorum: ut vero in dubio simili aliorum factorum non debet hoc facere ju- dex, nec est ei taxata præscripta poena à jure, sicut in dicto casu in dubio facti homicidiū est præscripta in præsenti textu.